

dem in aliquibus locis viget consuetudo in Cœna Domini.

12. *Quæst. 12.* Quoties is peccet, qui sæpe in eadem die solvit jejunium? R. Certum est, eum, qui carnes comedit, toties peccare, quoties eas manducat, cum præceptum abstinendi a carnibus sit negans, adeoque sæpè obligans. Idem asserunt multi de abstinèntia a secunda comestione, quæ præceptum negans includit, scilicet, *ne plus comedas, quam unica comestione.* Contraria tamen sententia communior est, & probabilior; tum quia præceptum jejunii est positivum, per se præcipiens unicam in die comestionem; tum præcipue, quia essentia jejunii consistit in unica comestione, ut docet D. Th. 2. 2. q. 146. a. 6. *Ecclesiæ moderamine statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.* Quare destructa essentia jejunii, cessat jejunium; proindeque non est ulterior illius obligatio. Quæ ratio locum non habet in abstinèntia a carnibus, sinè qua consistere potest ratio jejunii, ut viderè est in iis, qui legitime dispensantur ad carnes manducandas; quibus jejunii forma præscripta est. Erit tamen veniale peccatum, soluto jejunio; iterum manducare, cum sit contra finem præcepti.

13. Nota vero, eos, qui absque culpa bis comedunt in die, teneri ulterius abstinere, cum solum *materialiter* fregerint legem jejunii, quam tenentur servare, cum primum eam animadvertunt. Ita Azor. Val. & alii. Sunt tamen, qui probabiliter contrarium affirmant juxta nuper dicta. Holzm. Elbel, Sporer, & alii. Quæri so-

let, an liceat cauponibus ministrare cibos omnes, etiam prohibitos in die jejunii? R. id generatim non licere, nisi ratio sit prudens credendi, invitatum esse immunem ab obligatione jejunii, aut alia gravis ratio accedat, excusans a peccato scandali; eo fere modo quo diximus de coopèrantibus ad peccatum alterius.

CAPUT II.

De causis excusantibus a jejunio.

14. *Quæst. 1.* Quænam a jejunio excusent? R. quatuor, scilicet Superioris *dispensatio, impotentia*, sive physica, sive moralis; *labor* qui cum jejunio stare non possit, saltem sinè gravi incommodo; denique *pietatis opera*, ex officio, necessitate, vel saltè gravè utilitate suscepta.

Quæres: Quis possit circa jejunium dispensare? R. S. Pontifex cum universa Ecclesiâ, & Episcopi cum sua Diocesi, si causa sit justa. Quamquam in lege universalis jejunii Episcopum non possè dispensare pro universo grege, est opinio non modo communior, sed etiam magis rationi consentanea, teste Bened. XIV. in Bulla *Prodiit jamdudum.* Intellige, nisi difficilis sit auditus ad R. Pontificem. Potest tamen cum particularibus subditis vel commutare, vel dispensare; uti & Parochi id possunt sed non pro tota Parochia, ex consuetudine, & tacita Episcoporum permissione. Possunt etiam dispensare cum suis subditis, & cum semetipsis Prælati Regulares, qui vera habent jurisdictionem. Atque hoc loco

præ oculis habenda est doctrina D. Th. 1. 2. q. 147. a. 4. *Si causa sit evidens, per se ipsum licite potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad Superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere qui habet potestatem in talibus dispensandi.*

15. *Quæst. 2. Quinam a jejuniis excusentur ratione impotentia? R. 1. ratione physicæ impotentia excusantur infirmi, quibus jejuniis graviter nocere potest, atque ita debiles ut uno prandio bene se gerere non possint. Item prægnantes, & lactantes, quibus aliquando esus carniæ permittitur, si puer ægrotet, aut mater sit valde debilis. Excusatur pauperes, illi scilicet, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat, ut ait D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. aut ea solum habent obsonia modicæ nutritionis, quibus non se satis reficerent, nisi sæpius illa manducarent.*

16. *Ratione moralis impotentia a jejuniis obligatione sunt liberi 1. ii, quibus jejuniis affert grave incommodum, ut gravem capitis dolorem, diuturnas vigilias, nisi eas impedire possint, prandium ad vesperam differendo, ad quod juxta multos tenentur. 2. milites sive in castris, sive in hospitibus versentur, ut dicunt communiter TT., & ubique solent excusari saltem ab abstinentia a carnibus. 3. uxores, quibus jejuniis a maritis interdicitur, atque etiam viri, qui jejunantes non possunt uxoribus debitum reddere. Non autem excusantur conjuges, si cum jejuniis*

petere illud non possint, nisi forte in altero animadvertat alter periculum grave incontinentia. 4. adolescentes usque ad annum 21. completum, ut docent TT. cum D. Th. eo quod crebriori cibo indigeant tum ad incrementum naturæ, tum ad roborandas vires. *Conveniens tamen est, inquit S. D. ut etiam hoc tempore ad jejunandum se exercent; tum ut postea præceptum jejunii facilius exequantur, tum præcipue ut concupiscentia motus jejuniis coerceant.* 5. excusantur senes, qui ob imbecillitatem virium onus jejunii sine gravi incommodo ferre non possunt. Sunt DD. qui nolunt, senes excusare a jejuniis si viribus sint robusti. Alii contendunt, eos non obligari, si annum septuagesimum expleverint. "Nec desunt, qui omnes post completum annum ætatis sexagesimum liberent ab obligatione jejuni; tum quia eorum robur solum est speciosum, & parum constans, tum quia difficile est, & scrupulis obnoxium, inquirere, an sexagenarius aliquis sit, necne satis robustus ad ferendum jejuniis. Ita Sporer, Potestas, Marcantius alii, teste Roncaglia. Verum non placet hæc opinio sic indefinita; nec ego excusarem eos, quos certo constat esse robustos. Multominus feminas tantum quinquagenarias, nisi ratione specialis ægritudinis, vel imbecillitas." 17. Nota vero, eum, qui vovit jejunare per totum vitæ suæ tempus, obligari etiam post annum ætatis sexagesimum; videtur enim, hanc fuisse ipsius mentem, nisi aliud constet. Pariter adolescens, vovens v. g. sabbato jejunare, tenetur ante completum annum 21. potuit enim, &

creditur, voluisse, sese ita obstringere. Idem dico de Religiosis sexagenariis, qui obligantur ad jejuntia regulæ, si in ea profiteantur observantiam usque ad mortem, ut tradunt Salmant. Pariter votum jejunii, quod subrogatum est voto castitatis, obligat in senectute, sicut obligaret votum castitatis, nisi infirmitas excuset, aut obtineatur dispensatio.

18. *Quæst. 3.* Quisnam labor liberet ab obligatione jejunii? R. is, qui cum jejunio physice, aut moraliter consistere non potest. Hinc merito ab Alex. VII. damnata est generalis illa propositio: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, si labor sit compatibilis cum jejunio.* Excusantur communiter inter operarios fossores, agricolæ, lapidicinæ, figuli, textores, lanarii, fallones, bajuli, aurigæ, nautæ remigantes, fabri lignarii, & ferrarii, atque murrarii. Iis merito adduntur cursores, sutores, qui caleos conficiunt, non vero qui coria scindunt; item furnarii, pistores. Coqui, plures dapés, & pluribus personis præparantes, si fere per diem laborent secus si pauca fercula parent, aut tantum inferioribus ministris præsideant. Typographi prælum versantes, non vero typos tantum componentes. Famuli, qui tota die majoribus laboribus vehementer incumbunt; non vero ancillæ lanam, aut linum nentes, aut hujusmodi levia munia exercentes. Secantes lapides, ornantes templâ, salam circumferentes, si hæc, aliavè officia per maximam diei partem exercent; secus vero qui per paucas horas dictis, aliisque laboribus vacant.

19. Non excusantur autem barbitonsores, sartores, pictores, scribæ, & notarii. Neque Præceptores, aut Professores; nisi infirmi sint, aut natura multum debiles ita ut sine gravi incommodo jejunium ferre non possint. Excusantur itinerantes, si pedibus iter conficiant, quod aut longitudine, aut viæ difficultate a jejunantibus nequit fieri absque gravi incommodo. Non vero si iter sit breve, & expeditum, aut illud equo, vel curru faciant. Unde damnata est ab Alex. VII. hæc propositio: *Excusantur absolute a lege jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit; & etiamsi iter unius diei conficiant.* Notandum autem id, quod S. Th. docet 2. 2. q. 147. a. 4. *Si peregrinatio commode differri possit. . . non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia præmittenda.* Quando autem, incepto itinere, jejunii dies recurrit, non tenetur itinerans ab illo desistere, ut jejunet.

20. *Quæst. 4.* An opifices divites, qui ex officio artes laboriosas exercent, peccent, si in die jejunii laborem assumant? Affirmant nonnulli, quorum sententiæ favent S. Th. & Antoninus; non videntur enim a jejunio excusandi ratione laboris, qui sine artificum detrimento differri potest. Negat tamen communissima sententia, quam decreto suo confirmavit Eugenius IV. vivæ vocis oraculo, ut testatur Silvester, & habetur in Comp. Priv. FF. Minorum. Et quidem Republicæ videtur interesse, ne artifices operam suam intermittant ad jejunandum; atque ita fert praxis, & consuetudo a Prælatibus Ecclesiæ

tolerata. Nec vero tenentur jejunare, etiamsi uno, vel altero die a labore vacaverint; ita enim convenit ad reparandas vires, & conservandas ad labores ultteriores. Quod si ea die sine incomodo, nec periculo ullo jejunare possint, non excusantur; licet multi eos non teneri jejunio velint, eo quod labor ipso ordinarius lassitudinem infert, quæ cum jejunio stare sine detrimento non possit.

21. *Quest. 5.* An qui laborem suscipit, ut eximatur a jejunio, culpa vacet? R. non est dubitandum eum non teneri ad jejunium, postquam labore suscepto graviter est defatigatus; peccavit tamen, operando in fraudem præcepti, cum lex omnis obliget ne quid fiat data opera, ut lex eludatur, ut docet S. Th. 1. 2. q. 71. a. 5. damnans peccati omissionis circa auditionem sacri eum, qui *talibus se occupat, quibus ab eundo ad Ecclesiam impeditur.* Unde peccat ex eadem ratione contra legem jejunii, qui sine justa causa laborem assumit, etiamsi id non faciat in fraudem præcepti. Non ita qui labori incumbit, quamvis non omnino necessario, sed tamen utili, & honesto, v. g. ob magnum lucrum; sed non excuso eos, qui a jejunio liberantur ob solam recreationem, quantumvis honestam.

22. *Quest. 6.* Quinam sint a jejunio liberi causa pietatis? R. omnes ii, qui præstant opera pietatis, quæ sint præstantiora, & Deo gratiora, quam ipsum jejunium, cum quo moraliter sunt pugnancia. Talia sunt opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, atque etiam Religionis. Nam ut ait D. Th. 2. 2. q. 247. art. 4. non vi-

detur fuisse intentio Ecclesiae, statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas. Itaque ab obligatione jejunii sunt liberi Concionatores, Præceptores, inservientes hospitalibus, si ex officio, aut obedientia id præsentent cum magno labore. Imo secundum multos, etiam si agant ex devotione, & gratia utilitatis proximi, quæ videtur expressa doctrina D. Th. in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. Excusantur etiam peregrinantes ad loca sacra, si peregrinatio, cedat in magnum Dei honorem, aut publicam utilitatem; secus vero si peregrinatio privatae devotionis gratia suscipitur, & in aliud tempus potest commode differri. Quod si suscepta peregrinatione, dies aliqua jejunii interveniat, non est opus iter susceptum intermittere ad jejunandum.

23. Nota tamen, non esse a jejunio excusatos Concionatores, qui semel, aut iterum in hebdomada concionantur, sed qui quotidie, vel saltem frequentius ad populum conciones habent. An vero excusentur qui ter, aut quater per quadragesimam concionantur, non est facile definire; id enim dependet a majori, vel minori mentis fervore, studio, labore, & corporis agitatione, quæ ita debiles eos reddant, ut nequeant jejunium perferre. Quæ regula valet etiam pro cantoribus Ecclesiarum, Lectoribus gymnasiorum, & similibus. Confessarii autem, Medici, & advocati non liberantur a jejunio ratione laboris, nisi is tantus sit, atque ita extraordinarius, ut jejunantes non possint officiis suis satisfacere.

24 Hi tamen omnes, etiam non jejunantes,

tenentur a carnibus abstinere, quandiu infirmitas gravis, aut alia necessitas aliud non persuadeat. Verum si de causa sufficienti dubitatio exoritur, petenda est dispensatio a legitimo Superiore, qui potest concedere, ut saltem per dies aliquot non jejunetur. Cum vero necessitas evidens est, nulla opus est dispensatione, ut expresse tradit D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. supra citatus.

CAPUT III.

De Præcepto Ecclesiastico solvendi decimas.

25. *Quæst. 1.* Quonam jure decimæ Ecclesiis solvi debeant? R. illæ debentur ex justitiâ, & religione. Sicut enim in lege veteris præscriptum erat *Levit. 13.* ut tribui Leviticæ, ex qua erant Sacri Ministri, decima pars fructuum ab aliis tribubus solveretur; ita in lege nova æquum erat, ut Ministri Divino cultui dedicati haberent unde sustentarentur ut liberius Deo vacare possent, sacrificium offerre pro populo, & sacra munia obire. Itaque decimarum solutio quoad alimenta ministrorum Dei sunt de jure Divino; quoad modum vero sustentationis sunt de jure Ecclesiastico, & a consuetudine pendet, utrum decima, an octava, vel alia pars sit solvenda. Itaque in multis locis, ubi Parochis est assignata alia congrua sustentatio, non est in usu eis decimas solvere, proindeque standum est loci receptæ consuetudini.

26. *Quæst. 2.* Quodnam sit peccatum Decimas non solvere? R. ubi consuetudo solvendi,

viget, eas non solvere est grave peccatum contra justitiâ, & Religionem, & obligat ad restitutionem. Constat ex Later. Conc. II. & IV. & ex Trid. Sess. 25. c. 12. dicente: *cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadant.* Peccant etiam, qui eas non solvunt integras, vel solvunt de fructibus deterioribus, Caini impietatem imitantes. An autem isti sacrilegii rei sint, disputant nonnulli. Affirmat communis opinio ex Lat. 11. dicente c. 10. *Nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere.* Alii ea verba non ita stricte interpretantur, sed censent ab illis committi peccatum irreligiositatis, & quidem aliis gravis.

Nota 1. ex Clement. *Cupientes*, latam esse Excommunicationem in eos, qui in concionibus fideles avertunt a decimarum solutionem; sed ea solos Regulares complectitur, & ipso facto incurritur, nec est Papæ reservata, sed ab Episcopo potest absolvi. 2. quod dictum est de præcepto solvendi decimas applicari potest præcepto primitiis frugum exsolvendi, ubi viget consuetudo, "Vide alia apud auctorem edit. VI. Romæ facta anno 1767. quam utpote ab ipso auctore castigatam secuti sumus in hac epistole tome conficienda."

Finis. I. Voluminis.

*Libros que se hallan de venta en la misma
librería.*

Sermones del padre Neuville, predicador de Luis XV, rey de Francia, y traducidos al castellano, 8 tomos en 4.^o 136 rs. en pasta.

Aguino, El Púlpito, ó reflexiones útiles á los jóvenes eclesiásticos que se dedican al santo ministerio de la Predicacion Evangélica: 4.^o, 16.

Bergier, el Deísmo refutado por sí mismo, ó examen de los principios de incredulidad esparcidos en las obras de Rousseau: 2 tomos en 4.^o, 32 rs.

Cuniliati, el catequista en el púlpito: 2 tom. en 4.^o, 38 rs.

Colonia, la religion cristiana autorizada por el testimonio de los antiguos AA. gentiles: 2 tomos en 4.^o, 16 rs.

Ducreux, Historia eclesiástica general, ó siglo del cristianismo: 8 tomos con las adiciones que alcanzan hasta el año de 1806: 4.^o, 168 rs.

Despertador eucarístico: 8.^o, 8 rs.

Delicias de la Religion cristiana: 8.^o, 12 rs.

Despertador del alma y dulce convite eucarístico de Jesus sacramentado: 12.^o, 6 rs.

Dutari, vida cristiana: 12.^o, 6 rs.

Diario del Cristiano, siervo de la Madre de Dios: 8.^o, 8 rs.

El espíritu de la Biblia: 8.^o, 7 rs.

Eguia, Directorio teológico-moral, para asistir como ministro del sacramento de la Penitencia á los que estan en el artículo y peligro de muerte, y á los delinquentes de pena capital. Segunda impresion, aumentada de varias preguntas y tratados, y uno de estos sobre la obligacion y modo de hacer la operacion cesárea: 8.^o, 9 rs.

Elogios históricos de los santos, con los misterios de N. S. Jesucristo, y festividades de la Santísima Virgen, para todo el año, 4 tomos en 4.^o, 60.

Granada, guía de pecadores: 4.^o, 17 rs.

Famin, Antídoto contra los malos libros; nueva edicion: 8.^o, 12 rs.

Kempis, de la imitacion de Cristo y menosprecio del mundo: 12.^o, 8 rs.

Ligorio, visitas al Santísimo: 12.^o, 6 rs.

Lavalle, Oracion y meditacion: 12.^o, 5 rs.

Languet, Tratado de la confianza en la misericordia de Dios: 8.^o en pasta, 9 rs.

Lombex, Tratado de la alegría del alma cristiana: 8.^o con láminas, 9 rs.

